

honestus, gravis, spectabilis, qui cœlestium spectatorum delectare possit aspectus. Hoc casto et religioso ludo ludebat, qui dicebat: Spectaculum facti sumus Angelis et hominibus. Hoc ludo et nos interim ludamus ut illudamur, confundamur, humiliemur, donec veniat, qui potentes deponit et exaltat humiles, qui nos kessificet, glorificet, in æternum exaltet. »

**Vers. 23.** 23. IGITUR MICHOI FILLE SAUL, NON EST NATUS FILIUS USQUE IN DIEM MORTIS SUE. — Michol, ait S. Ambrosius, lib. IV, epist. 30 ad Sabinum, « sterilitatis damnata non edidit sobolem regiam ne superbos crearet » sibi similes, utpote superba. Communiter docent interpretes Michol nec ex Davide, nec ex Phalli, nec ex alio viro ullos procreasse liberos. Videtur Michol naturæ fuisse sterilis; nam per undecim annos nupta Davidi hucusque nullos ei dedit filios, quod sterilitatis vitium Deus illi hic in penam irrisionis Davidis confirmavit. Addit Pineda, lib. VII De Rebus Salomonis, cap. IV, Davidem deinceps ejus usum et copulam maritali abstinuisse; sed hoc incertum est.

Dices: Cap. XXI, vers. 8, numerantur quinque filii Michol. Nugantur Rabbinii, dicentes Michol tantum fuisse sterilem eo tempore quo irrisit Davidem. Verius Hebræi prisci apud S. Hieronymum et Abulensem respondent illos filios fuisse ex ipsius sorore Merob, sed ab ipsa adoptatos; Josephus vero non ex Davide, sed ex altero viro susceptos vult. Si enim, aiunt Theodoretus et Procopius, ex Davide et ipsa nati filii fuissent, facilius in reges postea fuissent ascripti, quia et patrem regem et matrem regis filiam habuissent. Sed prior Hebraica responsio est verior, ut patet cap. XXI, vers. 8.

Symbolice, Michol representat Paganos, Judæos, Hæreticos ceterosque impios qui Ecclesie fidem, ceremonias, piorumque hominum facta ir-

rident et calumniantur. Ita Eucherius, Anglorum et S. Ambrosius, lib. I Apolog. Davidis, cap. VI. Unde Michol hebraice idem est quod *omnis aqua*, ait Eucherius; aqua autem symbolum est persecutionis et persequentium, qui ut aqua in vitis carnalia diffundunt, ideoque veros, pios et spirituales quasi sibi ex diametro adversos persequuntur.

Denique, sensus Michol fuit sensus Gentilium, qui indignum regem æque ac deorum majestate consabant canere, psallere, choros agere. Tritum est illud: « Jupiter non cantat, nec citharam pulsat. » Philippus rex filium suum Alexandrum Magnum reprehendit, eo quod cantasset. Nero quoque ob cantum male audivit, teste Suetonio, et contrarius fuit in divinis fidelium etiam magnatum zelus et usus. Ut alios taceam, ante centum annos Thomas Morus Anglie Cancellarius et martyr Davidem imitatus est. Audi quid de eo scribit Thomas Stapletonius in ejus Vita, cap. VI, pag. 87: « Sed et in ipsa sua ecclesia sacerdoti concinnidutus superpelliceum concinebat. Quod cum etiam regni Cancellarius faceret, monitus a Duce Northfolchie, qui aliquando superveniens eum sic eum superpelliceo in choro canentem deprehendit, hunc ejus agendi morem regi heud dubie displiciturum, ut nimis humilem, ac dignitati quæ fingeretur minus congruum, respondit: Domino meo regi displicere non potest, quod ipsius regis Domino obsequium impendo. Jam vero sacerdoti sacrificium (supplens locum idiotæ) ad altare ministrabat; et interdum in supplicationibus de more publicis, sed parochie sue, crucem sacerdoti præferbat, vulgaris clericus vel aditum officium facere nihil recusans, nihil detrectans, nihil erubescens, imo vehementer gaudens; quosdam eum David tripudians ante arcam Domini et dicens: Vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis. » Hucusque Stapleton.

## CAPUT SEPTIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

David destinat fabricare templum, idque probat Nathan propheta; sed admonitus a Deo id revocat, asservitque non Davidem, sed filium ejus Salomonem templum edificaturum. Secundo, Deus Davidi, vers. 16, promittit posteritatem continuam et regnum perpetuum.

1. Factum est autem cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis, 2. dixit ad Nathan prophetam: Videsne quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium? 3. Dixitque Nathan ad regem: Omne quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum est. 4. Factum est autem in illa nocte; et ecce sermo Domini ad Nathan, dicens: 5. Vade, et loquere ad servum meum David: Hæc dicit Dominus: Numquid tu edificabis mihi domum ad habitandum? 6. Neque enim habitavi in domo ex die illa qua eduxi filios Israel de terra Ægypti usque in diem hanc; sed ambulabam in tabernaculo, et in tentorio. 7. Per cuncta loca quæ transivi cum omnibus filiis

Israel, numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel, cui præcepi, ut pasceret populum meum Israel, dicens: Quare non edificastis mihi domum cedrinam? 8. Et nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tui te ac pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel; 9. et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti, et interfeci universos inimicos tuos a facie tua; fecique tibi nomea grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra. 10. Et ponam locum populo meo Israel, et plantabo eum, et habitabit sub eo, et non turbabitur amplius; nec addent filii iniquitatis ut affligant eum sicut prius, 11. ex die qua constitui judices super populum meum Israel; et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis; prædicique tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus. 12. Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. 13. Ipse edificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. 14. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium; qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. 15. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. 16. Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter. 17. Secundum omnia verba hæc, et juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David; 18. Ingressus est autem rex David, et sedit coram Domino, et dixit: Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? 19. Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum; ista est enim lex Adam, Domine Deus. 20. Quid ergo addere poterit adhuc David, ut loquatur ad te? tu enim scis servum tuum, Domine Deus. 21. Propter verbum tuum, et secundum eorum fecisti omnia magna hæc, ita ut notum faceres servo tuo. 22. Ideo magnum est, Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus quæ audivimus auribus nostris. 23. Quæ est autem, ut populus tuus Israel, gens in terra propter quam ivit Deus, ut redimeret eam sibi in populum, et poneret sibi nomen, faceretque eis magna et horribilia super terram, a facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, et Deum ejus. 24. Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum sempiternum, et tu, Domine Deus, factus es eis in Deum. 25. Nunc ergo, Domine Deus, verbum quod locutus es super servum tuum, et super domum ejus, suscita in sempiternum, et fac sicut locutus es, 26. ut magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, atque dicatur: Dominus exercituum, Deus super Israel. Et domus servi tui David erit stabilita coram Domino, 27. quia tu, Domine exercituum Deus Israel, revelasti aurem servi tui, dicens: Domum edificabo tibi; propterea invenit servus tuus cor suum ut oraret te oratione hæc. 28. Nunc ergo, Domine Deus, tu es Deus, et verba tua erunt vera; locutus es enim ad servum tuum bona hæc. 29. Incipe ergo et benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum coram te, quia tu, Domine Deus, locutus es, et benedictione tua benedicetur domus servi tui in sempiternum.

Idem narratur et repetitur I Paralip. cap. XVII, quod proinde totum hæc pertinet.

2. ET ARCA DEI POSITA SIT IN MEDIO PELLIIUM? — Tabernaculum enim in quo erat tegebatur pellibus arietum rubricatis et ianthinis instar papilionis, Exodi XXV, 14, q. d. Hoc indignum videtur, volo ergo edificare templum magnificentum, ut in eo honorifice collocaem arcam Dei. Porro David fabricam templi non tantum voluit, sed et vovit, ut patet Psal. CXXI, 2 et seq. Josephus asserit Davidem voluisse ex Dei præcepto; sed errat: nus-

quam enim Deus præcepit ei ut templum fabricaret, imo volentem inhibuit, ut patet vers. 3. Vovit ergo vovitque David hanc fabricam ex merito ardentique devotionis Dei que cultus zelo, qui eum adegerat ut ante arcam coram toto populo totis viribus saltaret, indeque in dies crevit in eo hic zelus, præsertim quia presente arca ipse majora Dei in se indies experiebat beneficia. Quare indignum judicabat ut ipse habitaret in domo cedrina, Deus vero Deique arca degeret in tabernaculo pelliceo et papilionis.

Historiam hanc ita narrat Eusebius apud Eusebium, lib. IX *Prepar. Evang.*, sub finem: «Cum vellet David templum edificare Deo, rogavit Deum ut locum ei altaris ostenderet. Ibi ei Angelus apparuit stans super locum ubi altare statuerat Hierosolymis, iussitque ei templum non statueri, quod humano sanguine pollutus esset, multaque bella gessisset. Nomen vero illi fuit Dianathan, eique imperavit ut filio edificationem permitteret, ipse vero, quae ad apparatus pertinerent, adoraret.»

Ver. 3. 3. DIXITQUE NATHAN AD REGEM: OMNE QUOD EST IN CORDE TEO, VADE, FAC. — Nathan erat propheta Davidi familiaris, et a consiliis, teste S. Epiphonio, Isidoro et Dorotheo in *Vitis Prophetarum*; sed quia hic Deum non consuluit, hinc nec a Deo fuit illustratus, sed erravit; errorem tamen illico admonitus a Deo correxit. Sic Propheta subinde loquitur ex instinctu non Dei, sed iudicii et spiritus proprii, imo propter usum prophetiae putant se loqui ex spiritu Dei, cum loquantur ex suo; tumque errare possunt, et quandoque errant, ut docet Theodoretus hic, et S. Gregorius, homilia 4 in *Ezechielum*, ac D. Thomas, II II, *Quest.* CLXXI, art. 3. Causam dat Angelomus dicens: «Quod omnipotens Deus ex magna pietatis dispensatione disponit, quia dum prophetiae spiritum aliquando dat, et aliquando subtrahit, prophetarum mentes et elevat in celsitudine, et custodit in humilitate; ut accipientes spiritum, inveniant quid de Deo sint, et rursum prophetiae spiritum non habentes, cognoscant quid de semetipsis sint.»

Ver. 5. 5. NATHAN TU EDIFICABIS MIHI DOMUM? — Voluit volumine Davidis de fabricando templo quoad rem probavit laudavitque Deus, ut religiosum et pium sanctumque, sed non quoad personam. Noluit enim illud a Davide fabricari, sed a Salomone. Causa assignatur I *Paralip.* cap. XXI, vers. 8, scilicet quod David continuus in bellis multum effuderat sanguinis: quare indecens erat ut David tanto hominum sanguine cruentatis manibus fabricaret Deo purissimo, mansuetissimo, sanctissimo et clementissimo domum, sive templum. Ipsum ergo voluit fieri a Salomone, qui pace fruens fuit rex pacificus, ideoque typus Christi, qui venit in mundum totus mitis et benignus, ut Ecclesiam fidelium Deo exstrueret, eamque in pace gubernaret, juxta illud: «Factus est in pace locus ejus.» Ita Eucherius, Rupertus et Prosper, *De Promis.* part. II, cap. xxvii.

Tropologie significatur, ait ex S. Gregorio, lib. VII *Moral.* cap. xvi, Angelomus, quod «qui vir sanguinum est, hoc est, qui adhuc carnalibus actibus incubat, templum Deo, sanctam scilicet Ecclesiam, per predicationis officium construere non debet; seu etiam moraliter innuitur, quod mundus in se esse a villis debet, qui aliena curat corrigere; terrena non cogitet ut desideris inihiis non succumbat, quatenus tanto perspicacius aliis fugienda praevideat, quanto luce ipse per

scientiam et vitam verius declinat. Nequaquam pure maculam in membro considerat oculus, quem pulvis gravat; et superfluae sordes tergere non valent manus quae lutum tenent.»

Simili modo Deus Geize duci Hungariae, qui fuit pater S. Stephani primi Hungarorum regis, volenti edificare templum idipsum per visionem inhibuit: «Habes enim, inquit, manus sanguine pollutas, sed filius tuus Stephanus id faciet, idemque in praemium primus Hungarorum rex coronabitur.» Idem confirmavit S. Stephanus Proto-martyr apprensus Geize, iubensque ut filio nomen suum imponeret, eumque ex se Stephanum vocaret. Hic fuit rex sanctus, qui Hungaros ad Christum convertit. Unde Pontifex Romanus coronam ei regiam mittens: «Ego, inquit, sum Apostolicus; Stephanus vero est Hungariae Apostolus.» Ita habet Vita S. Stephani apud Surium ad diem 20 augusti.

Anagogice, significatur Ecclesia triumphans in caelo gloriose edificanda a Christo pacifico, in summa omnium Beatorum pace et securitate, unione et concordia, aeque ac puritate, innocentia et sanctitate.

7. NUMQUID LOQUENS LOCUTUS SUM, etc., QUARE NON EDIFICASTIS MIHI DOMUM CEDRINAM? — Deus dicit edificari templum a Josue, Gedeone, vel aliquo alio Iudice, quia omnes versati in bellis multum sanguinis fuderunt, fuerunt viri sanguinum. Ita Angelomus.

10. ET POSAM LOCUM POPULO MEO ISRAEL, — «Locum,» scilicet stabilem et felicem; ut scilicet Israelita amplius non vagentur, non abducantur captivi, non miseram vitam agant, ut fecere haec tenus vexati a Philistaeis aliisque gentibus. Unde explicans subdit:

ET PLANTABO EUM, — *q. d.* Instar plantae et arboris radicatus firmabo Israelcem in Iudaea, ut in ea firmetur et feliciter conquiescat, ac opulenter et hilariter vivat.

ET HABITABIS SUB EO, — id est in eo, scilicet loco suo, quasi umbraculo, ut eo undequaque tectus, stabilis et securus permaneat.

11. PREDICABITQUE TIBI DOMINUS, QUOD DOMUM FACIAT TIBI DOMINUS, — «domum,» id est prolem et familiam regiam; illa enim vocatur domus antonomastice. Cajetanus per «domum» accipit Messiam, sive Christum, quasi hic Deus promittit Davidi Christum ex se nasciturum. Hoc verum est, at in sensu non literali, ut vult Abulensis, sed allegorico, quem tamen Deus hic una cum literaliter videtur revelasse et patefecisse Davidi, ut patebit ex sequentibus.

12. CUMQUE COMPLETI FUERINT DIES TUI, etc., SUSCIPITO SEMEN TUUM POST TE, — id est suscipito Salomonem ad regnum ut regnet post te; licet enim Salomon jussu Davidis viventis unctus sit in regem, non tamen plene regnavit David viro, sed unctus est ad hoc ut post eum regnaret, eique mortuo in regno succederet.

Ver. 11. 13. IPSE EDIFICABIT DOMUM NOMINI MEO, — Salomon scilicet, ut patet I *Paralip.* cap. xxviii, 6. David tamen Salomoni dedit ideam perfectissimam a Deo acceptam totius templi, item maximam auri argenteique copiam ad fabricandum templum, ut patet III *Reg.* cap. viii, vers. 16 et seq., et I *Paralip.* cap. xxii, vers. 8 et seq., ac II *Paralip.* cap. xxxiii, vers. 7.

Allegorice Salomon, id est Christus, edificavit Ecclesiam, quasi regnum et thronum Dei sempiternum, illicque Deus verus et proprius est pater, ut sequitur. Unde Angelomus, Eucherius, Rupertus censent haec per hyperbolen dici de Salomone, proprie vero et integre de Christo. Hujus enim thronus absolute est sempiternus, cum Salomonis thronus respective tantum fuerit sempiternus, nimirum respectu suae gentis duntaxat, quia scilicet semper duravit, quandiu duravit Israelis respublica et regnum.

Ver. 13. 14. EO PRO EI IN PATREM, ET IPSE ERIT MIHI IN FILIUM, — Quare, de quo ad litteram hic Deus loquitur, an de Salomone, an de Christo? Primo, aliqui putant quaedam ex hisce quae hic dicuntur, ad litteram competere Christo, quaedam Salomoni. Ita Theodoretus et Procopius. Secundo, alii omnia ad litteram attribunt Christo; ille enim est solus verus Dei Filius, et regnum ejus aeternum. Ita Angelomus et Glossa. Tertio, Lyranus et Abulensis haec ad litteram accipiunt tam de Christo quam de Salomone.

Quarto, Hebraei et multi ex Latinis ad litteram interpretantur de Salomone, allegorice de Christo. Haec sententia verior est, ut patet ex lib. I *Paralip.* cap. xxviii, vers. 6, ubi haec omnia Salomoni expresse attribuantur: «Salomon, inquit, filius tuus edificabit domum meam; ipsum enim elegi in filium, et ego ero ei in patrem, et firmabo regnum ejus usque in aeternum.» Et patet, quia Deus loquitur de eo qui post Davidem erat fabricaturus templum, quod edificare volebat David, sed prohibitus fuit a Deo. Hic autem non alius fuit, quam Salomon. Verum, quia Salomon erat typus Christi, qui edificaturus erat Ecclesiam novam Dei, quae longe erat potior templo, idque in spiritu praevidebat Propheta, eoque aciem mentis et spiritus sui intendebat; hinc allegorico, sed potiore sensu haec dicuntur de Christo: unde nonnulla, quae hic dicuntur, tenuerit et inchoate duntaxat competunt Salomoni; plene vero et perfecte Christo, ut *Et ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium; et: Firmabo thronum regni ejus usque in sempiternum.* De fide ergo est hanc locum intelligi de Christo. Nam de eo explicat illum S. Paulus, *Hebr.* cap. i, vers. 5, ubi fuse eundem explicuit. Unde S. Augustinus, lib. XVII *De Civitate*, cap. viii et ix, assertit hic quaedam dici de Salomone ut erat privata persona; quaedam vero uti erat typus Christi. Vide hic quam tenere et ardentem dilexerit Deus Salomonem, ut illum per omnibus sibi associet in filium, velitque ejus

esse pater, ac paternam in eum officia exercere. Qui si inique aliquod gesserit, arguam eum in virga virorum, et in flagris filiorum hominum, — quibus scilicet homines solent castigare suos filios, ut eos non occidant, sed emendent, *q. d.* Castigabo Salomonem, si peccet, paternam ut pater, non severe et rigide ut iudex. Rursum, castigabo eum sicut castigare soleo homines, scilicet humano more, poena humana, temporaria et clementi, puta morbo, fame, bello; non autem sicut castigavi angelos, quos caelesti regno privavi, et gehennae in aeternum addixi; nec sicut castigavi Saulum, quem abieci et regno spoliavi irremissibiliter et in aeternum. Hinc Burgensis et alii colligunt Salomonem non esse damnatum, sed salvatum; verum hic proprie non agitur de salute, sed de regno Salomonis perpetuando in posteros, quandiu duratura erat Hebraeorum respublica et regnum; unde explicans subdit:

15. MISERICORDIAM AUTEM MEAM NON AUFERAM AB EO, SICUT ABSTULI A SAULE, QUEM ANNOVI A FACIE MEA.

16. ET FIDELIS ERIT DOMUS TUA ET REGNUM TUUM USQUE IN AETERNUM. — *Fidelis* hebraice *יָדוֹן* *neeman*, id est firma, stabilis, perennans, aeterna, juxta sensum quem dedi vers. 13. Et hoc significat Graecum *μετρίαντα*.

Allegorice, de Christi persona haec dici nequeunt; fuit enim ipsa impeccabilis, sed de ejus membris, puta fidelibus, quos peccantes Deus clementer castigat quasi pater, ut eos emendet.

18. INGRESSES EST AUTEM DAVID ET SEDIT CORAM DOMINO, ET DIXIT: QUIS EGO SEM, DOMINE? — nimirum sediti in tabernaculo coram aere Dei, non ob desiderium, vel molitionem, sed ut quietus, secretus, attentus et intentus oraret, totumque cor suum coram Deo effunderet. Ad haec enim jurat sessio. Ita S. Augustinus loco mox citando, et ex eo Eucherius: «Sedit, inquit, sive propter secretum semotis arbitris, sive propter intimum cordis, ubi erat orantis affectus.» Sic S. Bernardus sedendo solebat meditari, tum quia corpore erat infirmo, lasso et debili; tum ut silentius, quietius, devotius et diutius medicaretur. Corpore enim quiescente, quiescit et spiritus, ut libere totus Deo attendat et intendat. Addunt Sanchez et alii Davidem sedisse non in solo aut sedo, sed humi in terra et pulvere, idque studio humilitatis aeque ac reverentiae Dei, ut fecit *Job* cap. ii, vers. 8 et 13. Et Jerusalem vastata a Chaldeis, ideoque lugens et penitens juxta illud *Thren.* cap. i, 4: «Quomodo sedet sola civitas.» Quocirca Josephus ait Davidem in faciem suam procidisse, et statum humi more supplicantis orasse Deum.

Allam sessionis Davidis causam dat Vatablus, dicens: «Nemini sedenti licebat orare Deum, nisi regi.» Sed hoc falsum est. Nam et Elias qui non erat rex, sedens sub junipero oravit Deum, III *Reg.* cap. xix, 4, et *Psal.* cxxvii, 1, Hebraei in Babylone captivi plangentis et orantes dicunt: «Illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion.»

David  
sedendo  
oravit,  
cur?

Et Moyses, Exod. cap. xvi. vers. 42, sedens orabat, vincebatque Amalec: sedit ergo David animo magis quam corpore, tacite et tranquille Dei in se beneficia meditando, et gratias agendo, juxta illud Thren. cap. iii, vers. 28: « Sedit solitarius, et lacebat; precia levavit super se... » Unde Angelomus: « Sedere coram Domino, inquit, est beneficia ejus in humilitate cordis confiteri. »

S. Simplicianus, qui S. Ambrosio in Episcopatu Mediolanensi successit, proposuit hanc questionem S. Augustino, cur David tam pius sedendo oraverit, cum fideles genuflexi orare soleant, uti oravit Christus in hortu, Matth. cap. xxvi, et Stephanus in martyrio, Act. cap. vii, et S. Paulus in ergastulo, Ephe. cap. iii, vers. 14? Cui respondet S. Augustinus, lib. II ad Simplicianum, Quest. IV, nullum gestum orandi in Lego fuisse prescriptum, sed liberum fuisse quodlibet, uti qui cujusque conditioni et devotioni foret accommodus: « Nam et stantes, inquit, oramus, sicut scriptum est: Publicanus autem de longinquo stabat, et flexis genibus sicut in Actibus Apostolorum legitur: Et sedentes, sicut ecce David et Elias. Nisi autem jaocentes oravimus, non scriptum esset in Psalmis: Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Cum enim quisque orationem quarit, collocaat membra sicut ei occurrerit, accommodata pro tempore positi corporis ad movendum animum. » Idem fecere Gentiles: unde rex Ninive penitens, predicante Iona, cap. iii, vers. 3, sedit in cinere. Plutarchus in Vita Numæ Pompilii, qui Romulo Romæ in regno successit, pag. 23, scribit Numam sanxisse eos qui Deum adorant in orbem se vertere oportere, deinde vero sedere: quo ritu, inquit, et ratas precas, et in bonis perseverantiam fore significant, vel non esse Deum interpellandum obiter, et cum aliis occupamur, sed cum adest tempus opportunum, quo quiescimus, et ab aliis negotiis curisque feriamur. Denique Philosophus: « Anima, inquit, sedendo fit sapiens. »

Anima audiendo et sapiente

Vers. 18.

18. QUIS EGO SUM, DOMINE DEUS, ET QUÆ DOMUS MEA, QUIA ABDUCISTI ME HUCUSQUE? — ut ex pastore ovium faceres regem populorum, ex paupere divitem, ex vili nobilem, ex incognito celebrem et famosum. Dicit hoc illi, quos Deus ex humili imoque loco ad fastigium dignitatis, v. g. ad Episcopatum, Principatum, Apostolatam, extollit non imperio merito, sed gratuito Dei dono. Scripsit in hæc Davidis sententiam homilianam

S. Chrysostomus (vel quisquis est auctor; stylus enim indicat fuisse Latinum, non Græcum, ac citat S. Cyprianum, quod insolens est apud S. Chrysostomum), quæ exstat tom. I, ubi inter cætera ait: « Agnoverat iste sanctus, quod Genes. xviii, dixit Abraham Deo: Ego sum terra et cinis. Et singuli illa Deo dixerunt, ut forma esset perfecta humilitatis. Ergo quis sum ego, Domine mi? Ecce se nihil esse dixit, et servum, se esse non negavit: quia omnis qui confitetur servitute, meretur gratiæ libertatem. Ergo dicit: Quis sum ego, Domine mi? Videtis ubique regnare gratiam, ubique pia viscera possidere, cor humile illustrare, hominos sibi redigere, confessorum suos ditare. » El paucis interjectis: « Noverat se pastorem esse ovium, et non genere nobilitatum. Sed quando factus est nobilis, agnovit se ex nihilo fuisse sublevatum; et quia non est oblitus quis natus erat, perseveravit in culmine regali. » Vide que dixi Joan. cap. i, vers. 19, ad illa: Tu quis es?

19. ISTA ENIM EST LEX ADAM, DOMINE DEUS. — Vers. 19. Lex Adam quis? Resp. Primo, Secundo. Primo, Angelomus sic explicat, q. d. « Ista est lex hominis, Domine Deus, ut tibi in simplicitate cordis et puritate serviat; et tu facias ei misericordiam tuam, sicut mihi dignatus es facere servo tuo. » Secundo, Vatablus, q. d. Ista conditio et sors regalis est hominis preclari et excellentis, non vilis et abjecti, qualis ego sum. Unde Vatablus, Hebræice תורת תורת, id est lex, verit, directio; Chaldaeus vero verit, visio, a radice תראא, id est vidit. Tertio, alii, q. d. « Lex Adæ, id est hominis, est ut sit mortalis et moriatur. Quid est ergo, o Domine, quod me meumque regnum velis esse æternum? » Lex Adæ est ut sit miser, pauper et abjectus; quid est ergo quod me tantis opibus et honoribus cumulas? « Quid est homo quia ita magnificas eum? »

Lex Adam quis? Resp. Primo, Secundo.

Quarto et genuine, q. d. Tu, Domine, volis meis obsecundasti; imo ea prevenisti. « Lex » enim, id est inclinatio, homini a natura insita ista est, iste communis hominum est mos et usus, ut non putent sibi omnino satisfactum, esto opulenti sint, honorati et felices, nisi etiam de posteris, eorumque felicitate et gloria prospectum sit, quod tu, Domine, mihi facere dignatus es, promittens posteros meos semper ore reges, et continua serie perpetim mihi in regno successuros. Ita Abulensis, Hugo, Cajetanus, Dionysius et alii. Ratio est, quod homo naturaliter amet suos filios et posteros perpetim gloriosos, ut in iis semper superstes sit, et æternitatem quandam memorie, famæ et gloriæ assequatur. Filii enim sunt quasi pars et membra parentum, qui proinde filios amant ut seipsos, imo magis quam seipsos.

Quæto veritas.

20. QUID ERGO ADDERE POTERIT ADDEQ DAVID, UT VERS. 20. LOQUATUR AD TE? TU ENIM SCIS SERVUM TUUM, DOMINE. — « Scis, » id est, cognoscis, curas, amas, diligis, exaltas, glorificas. Sic enim explicatur lib. I Paral. xvii, vers. 18, cum dicitur: « Quid ultra addere potest David, cum ita glorificaveris ser-

vum tuum et cognoveris eum? » Hæc enim Dei cognitio et scientia non est speculativa et arida, sed practica et fecunda, ac proinde Dei amorem et beneficentiam involvit. Sic Apostolus de predestinatione et electis ad gloriam ait: « Cognovit dominus, qui sunt ejus, » II Timoth. ii, 19; reprobis vero dicit Christus in die judicii: « Nescio vos, » Matth. xxv, 12.

21. PROPTER VERBUM TUUM, q. d. Hæc magnalia mihi prestisti non propter merita mea, sed ut impleres promissiones tuas, quibus promisti mihi benefacere, cum per Samuelem me institui et unxisti regem.

ITA UT NOTUM FACERES SERVO TUC, — ut scilicet mihi exhiberes hæc magnalia promissa, ut ego illa cognoscerem, imo oculis cernerem et manibus palparem.

ET PONERET SIBI NOMEN, — ut Israel esset et vocaretur populus Dei, que est dignitas eximia, ac titulus summi honoris, æque ac utilitatis. Ita Vatablus. Aut, « ut nomen, » id est, famam et gloriam sibi pararet; ita Abulensis.

22. QUEM REDEMISTI TIBI EX ÆGYPTO GENTEM, ET DEUS EJUS, — ut scilicet Israel sit tua gens et populus, ac ut vicissim sis Deus ejus. Unde explicans subdit: « Et tu, Domine Deus, factus es eis in Deum. » Secundo, alii referunt ad « faceretque eis magnalia et horribilia, scilicet percutiendo Ægypti hostis eorum » gentem et Deum, hoc est deos, q. d. Tu, o Domine, pro tuis Hebræis pugnavis percussisti Ægypti gentem, et deos qui Hebræis adversabantur. Unde recentiores passim cum Chaldaeo ex Hebræo vertunt in ablativo, gente et Deo ejus, q. d. Redemisti Israel ex Ægypto, ac consequenter ab Ægyptia gente et Deo, id est, diis ejusdem gentis. Aut planius referas ad « faceretque eis magnalia et horribilia super terram, q. d. Deus pro Hebræis magna et horribilia patravit miracula tum super terram Ægypti et Chanaan, tum super » gentem et Deum, id est, deos ejusdem. Deus enim multis plagis per Moyse et Josue afflixit tum ipsam gentem Ægypti et Chanaan, tum ipsam gentem Ægyptiorum et Chanaaneorum, tum deos et idola eorum, ea evertendo et confringendo. Ita Sanchez. Hic sensus præ cæteris planior videtur, et magis congruere Hebræo, Chaldaeo et Septuaginta, qui pro gentem, habent gentes in plurali, quod magis septem gentibus Chanaaneorum et Ægyptiorum, quam uni Hebræorum genti congruunt.

Tertio, alii per Deum, Hebræice Elohim intelligunt Moysen, qui a Deo constitutus est Deus Pharaonis æque ac Israelis, utpote ejus legislator et dux vice Dei, Exodi cap. iv, 16, et cap. vii, 1. Vide ibi dicta, q. d. Redemisti ex Ægypto gentem Hebræam, et Deum ejus, id est Moysen qui ejus erat princeps, dux et ductor loco Dei.

Quarto, nonnulli per Deum sive Elohim intelligunt S. Michaelen, qui vice Dei erat dux, custos

et preses Israelis. Hic enim, dum Israelite captivi in Ægypto ex ea liberarentur et liberi exirent, cum eis egrediens ex Ægypto quasi liberari videbatur.

Quinto, Septuaginta פרוצו Elohim, id est Deum ejus, per metathesin legentes aholam, id est, tabernacula ejus, vertunt, redemisti tibi ex Ægypto gentes et tabernacula ejus. Hebræi enim ex Ægypto exierunt cum suppellectile non tantum sua, sed et Ægyptiorum, quam commodato, jussu Dei acceperant, ut spoliarent Ægyptum, Exodi xii.

23. SUSCITA. — Hebræice חקת haketa, id est stætuæ, stabili, confirma.

27. REVELASTI AUREM SERVI TUI (hoc est, secreto et quasi in aurem ei dixisti): INVENTI SERVUS TUUS CON SUM (scilicet paratum, gratum et alacere), UT ORARET TE ORATIONE HAC, — et orando, pro toto magnalibus sibi prestitis gratias ageret non condignas, sed sibi possibiles. Alii, « invenit cor suum, » id est, invenit consilium, inquit, sibi deinceps usui futurum. Idem argumentum gratiarum actionis ob beneficia sibi prestita, præsertim ob promissa de domo et regno suo perpetuando, ac consequenter de Christo ex se nascituro, tractat David Psalm. lxxxviii: « Misericordias Domini in æternum cantabo, » atque hæc gratitudine meruit hæc promissa a Deo sibi confirmari et augeri.

29. BENEDECTUR DOMUS SERVI TUI IN SEMPERNUM, — ut semper ex domo et familia mea in regno succedant, ac super Israelæm regnent posterii mei, quamdiu durabit Israelis regnum.

Abulensis hic, Quæst. ult., tractat questionem, an Salomon sit damnatus? et respondet affirmative, idque maxime probat ex eo quod ipse idola a se erecta moriens non destruxerit, quod utique facere debuisset, et reipsa fecisset, si vere penitisset; nam idola hæc trecentis fere post eum annis destruxit Josias rex, IV Reg. xxiii. Si dicas, etiam Asa, Josaphat et Ezechiam pios reges hæc non destruxisse: respondet id eos facere non potuisse, eo quod idololatria inducta per Salomonem, roborata et aucta fuerit per Jeroboam, qui schisma fecit erectis aureis vitulis quasi idolis in Dan et Bethel. Salomon vero ea destrueret poterat et debebat, tum quia erat potentissimus, tum quia nullum habebat rivalium, sed in plena pace omnibus sibi obedientibus regnabat. Idem censent Angelomus et Eucherius, IV Regum xxiii, Beda in Allegoribus lib. Regum, sub finem, ac Prosper, lib. Prædic. parte II, cap. xxvii: « Salomon inquit, elatus in sepio, fornicatus mente et corpore, Domino ipsum deserente, male obit, metendum exemplum posteris relinquens, ne felicitate hujus vite turbati Christum deserant, qui est suorum æterna felicitas. » Verum moderni interpretes in Salomone miltiores sunt, meliusque de ejus salute sperant. Vide dicta Ecl. cap. xlvii, vers. 22.

## CAPUT OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

David a Deo exclusus a fabrica templi, convertit se ad bella, quibus pacem et spem parat Salomoni ad illud fabricandum. Quare hoc capite quinque ejus bella recensentur, quibus totidem gentes vicinas subjugarit et tributarias fecit; scilicet primo, Philistæos, vers. 1; secundo, Moabitas, vers. 2; tertio, Adazerem regem Soba, vers. 3; quarto, Syriam Damasci, vers. 5; quinto, Idumæos, vers. 14, eorumque spolia fecit anathemata, Deoque consecravit.

1. Factum est autem post hæc, percussit David Philistiim, et humiliavit eos, et tulit David frenum tributi de manu Philistiim. 2. Et percussit Moab, et mensus est eos funiculo, coequans terræ; mensus est autem duos funiculos, unum ad occidentem, et unum ad vivificandum: factusque est Moab David serviens sub tributo. 3. Et percussit David Adazerem filium Rohob, regem Soba, quando profectus est ut dominaretur super flumen Euphraten. 4. Et captis David ex parte ejus mille septingentis equibus, et viginti millibus peditum, subnavit omnes jugales currum; dereliquit autem ex eis centum currus. 5. Venit quoque Syria Damasci, ut præsidium ferret Adazerem, regi Soba; et percussit David de Syria viginti duo millia virorum. 6. Et posuit David præsidium in Syria Damasci, factaque est Syria David serviens sub tributo; servavitque Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est. 7. Et tulit David arma aurea quæ habebant servi Adazerem, et detulit ea in Jerusalem. 8. Et de Bete et de Beroth, civitatibus Adazerem, tulit rex David æs multum nimis. 9. Audivit autem Thou, rex Emath, quod percussisset David omne robur Adazerem; 10. et misit Thou Joram filium suum ad regem David, ut salutaret eum congratulans, et gratias ageret, eo quod expugnasset Adazerem, et percussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adazerem, et in manu ejus erant vasa aurea, et vasa argentea, et vasa ærea; 11. quæ et ipsa sanctificavit rex David Domino cum argento et auro quæ sanctificaverat de universis gentibus quas subegerat. 12. De Syria, et Moab, et filiis Ammon, et Philistiim et Amalec, et de manibus Adazerem filii Rohob, regis Soba. 13. Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur capta Syria in valle Salinarum, cæsis decem et octo millibus; 14. et posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium: et facta est universa Idumæa serviens David; et servavit Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est. 15. Et regnavit David super omnem Israel; faciebat quoque David judicium et justitiam omni populo suo. 16. Joab autem filius Sarviae erat super exercitum: porro Josaphat filius Ahilud erat a commentariis; 17. et Sadoc filius Achitob, et Achimelech filius Abiathar, erant sacerdotes, et Saraias, scriba; 18. Banaïas autem filius Joiadae, super Cerethi et Phelethi; filii autem David sacerdotes erant.

1. ET TULIT DAVID FRENUM TRIBUTI DE MANU PHILISTII. — Hebraice est, כִּלְכִּלְתִּי מִיַּד פְּלִשְׁתִּים *metegamma*, quod Vatablus, Pagninus et alii accipiunt ut nomen proprium urbis, quæ fuit quasi *metegamma*, id est *frenum* ceterarum urbium vicinarum in Philistæa. Secundo, alii accipiunt ut nomen appellativum significans *frenum cubiti* (*meteg* enim est frenum, *anna* est cubitus, *ha* est articulus *anna*), indeque «frenum tributi», quod pretium tributi limitatum et definitum sit instar cubiti; *anna* ergo certam pensionem tributi significat. Aquila vertit, *frenum aqueductus*, quod per illam urbem

aqua per canales et rivus deduceretur in totam Philistæam, ad eam irrigandam et fecundandam; canali enim aquam ducimus quo volumus, cui freno equum. Unde et Chaldeus vertit, *instauratio*, vel, *dispositio et conmoditas viæ*.

Tertio, R. Eliezer in *Midrash* proprie accipit *frenum*, scilicet Isaac Patriarchæ: Isaac enim, inquit, feriens juransque pactum cum Abimelech rege Palæstinarum de non invadenda Philistæa, *Genes. xxvi, 28*, «incidit cubitum unum fronti», sive «cubiti», id est, capistri asini super quo equitabat, et dedit illis ut esset in manu illorum signum pacis

juramenti. Cæterum cum rex David vellet ingredi terram Philistiim, non poterat propter vim pacti juramenti Isaac. Sed cum ab illis capistrum hoc abstulit (quia scriptum est, et «tulit David frenum», vel, «chamum cubiti»), tunc accepit terram Philistinorum. Verum nemo non videt hanc fabellam esse et cerebri Rabbini commentum.

Quarto et genuine, «frenum tributi» vocatur urbs Geth, quæ erat in confinio Judææ et Philistææ, ideoque per eam Philistæi frenabant Judæam: David vero illam occupans per eam frenavit Philistæam. Abstulit ergo hoc frenum a Philistæis, eodemque frenavit Philistæos, imponens illi militare præsidium, quod ipsos sub jugo et tributo contineret. Id ita esse liquet ex eo quod sic hic locus explicatur I *Paral. xviii, 1*, ubi dicitur: «Factum est autem post hæc ut perceret David Philistiim, et humiliaret eos, et tolleret Geth, et Elias ejus (oppida subjecta) de manu Philistiim.» Ita S. Hieronymus in *Tradit.*, Sanchez, Serarius et alii. Geth ergo a Davide et Hebræis vocata est *metegamma*, id est, *frenum tributi*, nomine non proprio, sed appropriato, quia ipsa fuit frenum Philistinorum, cogens illos ad pendendum Davidi tributum.

Denique nonnulli *metegamma* proprie vertunt, *frenum cubiti*, et per illud accipiunt dominium et gubernationem; quia sicut nobis subjicimus id quod cubito imposito metimur et premitus; sic fœnamus eos quibus dominamur. Simili catachresi *aurigari* significat regere et imperare; sicut enim auriga freno et flagello regit equos, sic rex imperio suo gubernat populos. Sic Elias ab Eliseo vocatur «auriga Israelis.» «Pater mi, inquit, currus Israel, et auriga ejus,» IV *Regum* II, 12.

2. ET PERCUSSIT MOAB. — scilicet Moabitas, qui Judææ erant ad orientem, sicut Philistæi ad occidentem, Syri vers. 4 et 5, ad septentrionem, Idumæi vers. 14, ad meridiem. Per omnes ergo mundi plagas, vicinas gentes subjungendo David victoricia arma circumtulit. Ubi nota Davidem hisce omnibus periculis interfuisse, imo præfuisse, ideoque felicitur ea confectisse. Multum enim ad celerem dubiorum occurrence resolutionem, ad faciliorem rerum decretarum executionem, ad milites animandos, et ad difficultates omnes superandas facit ipsa presentia et præstantia principis; nam, ut ait Virgilius, «urget præsentia Turni.» Sane Carolus Quintus tot victoris fuit illustris, quia ipse præfuit periculis omnibus interfuit et præfuit. Exstat Synesi ad Augustinum imperatorem insignis exhortatio, ut ipse bellis intersit, ubi inter alias rationes hæc offert Onosander Strategeteus, cap. XLII: «Si quid, ait, subito confici optet imperator, primum ipse manu operi admota conspiciatur. Neque enim militum vulgus adeo potentiorum comminationibus cogitur, atque præstantium dignitate virorum exemplis verecundiam pulsantibus. Contraque enim aliquis duccem suum in re atrocioris periculi principem, festinandum esse ani-

madverterit, cessare erubescit, imperalique non parere veretur: nec jam ut servus aut imperio subditus, sed commilitonis instar ad opus quoque provocatus accedit.»

ET MENSUS EST EOS FUNICULO COEQUANS TERRÆ. — Primo, Theodoretus, *Quest. XIII*, ad litteram verba, ut sonant, accipit. «Tanta, inquit, erat vis victoriæ, et tanta erat multitudo eorum qui capti erant vivi, ut eos numerare non permitteret. Quare jussit eos pronos dejeci in terram divisos trifariam, et duas quidem partes occidit, unam vero vivam reservavit.» Secundo, Lyranus et Cajetanus hæc accipit de turribus et arcibus Moabitarum, quas David plano dejecit, itaque prostravit, ut eas plane terræ coequaret. Tertio, alii accipiunt de agris, *g. d.* David agros, pagos omniaque loca Moab quasi victor occupavit, et ad libitum suis distribuit, perinde ac agros terræ coequatos facile funiculo metimur et distribuimus. Aut, *g. d.* David omnino subjugavit Moabitas sibi, adeo ut posset terram et regionem eorum tanquam suam libere funiculis dimetri, distribuere, vertere et invertere ad libitum. Ita Angelomus: «Significat, inquit, quod tam libera dispositione David regiones Moabitarum heredibus, quibus vellet, divisit, quasi possessor quilibet agros proprios ad nutum suum ducto huc atque inde funiculo dirimit.»

Quarto et genuine, *g. d.* David plane Moabitas subegit, humiliavit et prostravit, ita ut ipsi ab eo viderentur dejecti in terram, terræque coequati, adeo ut ipse eos in terra quasi stratos funiculo dimetri, distribuere, occidere, vel vivificare posset, ut sequitur. Ita Beda, Serarius, Sanchez et alii. Est metalepsis et metaphora petita ab agricolis, et mensuris sive geometris, qui terram æquam funiculo demetuntur, ut tot jugera sementi, tot pascuis, tot vineis, etc., destinent, idque ad libitum; terra enim nulli resistit, et cum sit aqua, facile se mensurari distribuique patitur. Simili enim modo Davidi, quasi victori, omnes Moabite subjecti fuere, ut de eis facere posset, quod liberet: unde ipse eos quasi funiculis dimensus est, hoc est, eos in duas sortes distribuit, una sors fuit eorum, quos morti addixit, altera eorum quos in vita servavit. Hinc sequitur:

MENSUS AUTEM EST DUOS FUNICULOS, UNUM AD OCCIDENDUM, ET UNUM AD VIVIFICANDUM. — «Mensus est,» id est, mensuram adhibuit duorum funiculorum, sive mensus est Moabitas duobus funiculis: unus fuit funiculus mortis, ut eo quasi mensuraret; alter vero funiculus fuit vite, ut eo mensuraretur, et a Davide designati, vivificarentur, id est, id est, a Davide designati, vivificarentur, id est, in vita servarentur. Est catachresis vel metalepsis: per «duos funiculos» enim intelligit duas sortes Moabitarum, unam occidendam, alteram servandam in vita; fecit, inquam, pro libito suo quasi victor, sed cum mensura justitiae et æqualitatis, quæ principem victorem deceat, ut scilicet magis noxios sibi que resistentes occideret; minus

vero noxios, et sese subdentes, in vita servaret. Ita Cajetanus. *Funiculus* enim significat hereditatem et sortem, quia hae olim non virgines et peritici, uti nunc fit, sed funibus mensurabatur et dividebatur, illisque mensores cuique hereditam sortem et portionem admetiebantur.

Tropologicè Angelomus, David, id est Christus, in die iudicii, *Matth. xxv*, faciet duas sortes, unam salvandorum et beandorum, alteram damnandorum. Nam, ut ait *Psalmes Psal. xxx, 46*: « In manibus tuis sortes meae. »

Porro Hebraea hic obscura sunt. Sic enim ad verbum habent: *Mensus est duos funiculos ad occidentum, et plenitudinis funiculum ad vivificandum*. Quae verba bifariam dispongi exponique possunt. Uno modo, ut ponatur comma post *occidentum*, flantque tres sortes, *q. d.* David Moabitas in tres funiculos, sive sortes partesque distribuit, duas addixit morti, tertiam vitae. Ita Chaldaeus, Septuaginta, Theodoretus, Procopius, Iosephus et Graeci. Altero, ut comma ponatur post *duos funiculos*, et subaudiatur *ut unum, q. d.* David *mensus est duos funiculos, unum ad occidentum, alterum ad vivificandum*. Hunc sensum ut optiorem secutus est Noster et Latini, eumque exigit *plenitudinis, q. d.* David paucos Moabitas morti addixit, longe plures vero in vita servavit. Hoc enim sibi honorificum erat ac utile, ut a vivis tributa exigeret, quae occisi et mortui prestare non potissent; funiculus ergo occidentorum fuit immixtus et exiguus; vivificandorum vero plenus, magnus et integer, et hoc significat *plenitudinis*; hoc enim decebat clementem victorem et principem, qualis erat David. Porro haec de causa « Moab » a Davide plane subacta, ab eo *Psalm. lxx, 10* (tunc enim eum dictavit, ut patet ex eius titulo) vocatur, « olla spei meae, » id est, mancipium meum vilissimum, quasi ad res tantum culinarias et ollares aptum. Unde S. Hieronymus et Aquila vertunt, *Moab olla lotionis meae*, in qua scilicet quasi in olla laver; et Chaldaeus, *non conculerentur Moabites, sedati sunt pedes mei sanguine procerum ejus, sicut in olla lotionis*.

3. ET PERCUSSIT DAVID ADAREZER FILIUM ROHOB, REGEM SORAE. — addit I *Paral. xviii, 3*, « regionis Hemath, » id est Syriae. A Josepho, libro vii, cap. v, vocatur, « rex Sophonorum, » quae est Syria cis Euphratem, ait Strabo, libro xvi. *Soba* sive « Suba » et « Subal » est pars Syriae, quae inter Libanum et Antilibanum ac Hermon interiacet, et Graece Coelesyria, id est eava Syria dicitur ob demissam a declivitate montium planitiem, ait noster Christophorus a Castro in *Amos ix, 17*. *Kezi* enim est quovum, idemque Hebraeus innuit « Soba, » id quod Pagninus interpretatur *abscondens*, eo quod planities inter montes se abscondat. Potius *Soba* Hebraice idem est quod *tumida*, eo quod « Soba » montibus vicinis elevetur et intumescat, cum ipsa regio interjecta sit campestris, humilis, depressa et concava, utpote altissimis montibus

quaquaversum vallata. Verum « Soba » non est fota Coelesyria, sed pars ejus duntaxat. Nam Coelesyria late sumpta multas regiones, imo omnes quae inter Libanum et Hermon montes interjacent complectitur, ait Ptolemaeus. « Soba » ergo erat trans Jordanem, confinis dimidiae tribui Manasse, pergendo ad Euphratem fluvium. Vide Adrichomium in *Tabula cosmographica tribus Manasse*, num. 87, ubi « Soba » collocat juxta Palmiram, ac Amara et Hermon montes ac Trachonitidem regionem, non longe a Damasco. Unde et Salomon, cum ad Palmiram condendam pergeret, huc duces exercitum, urbem et regionem hanc sibi ascivit. Sed cum in senio a Deo ad idola deflexit, Deus suscitavit Razon fugitivum servum regis « Soba, » qui Israelem infestavit, III *Regum xi*. Postremo Holofernes, *Judith v*, populabundus per Syriam « Sobal » exercitum traduxit. Ex « Sobal » ortus est Igal unus ex fortissimis milibus et heroicis Davidis, III *Regum xxiii, 36*.

QUANDO PROPECTUS EST UT DOMINARETUR SUPER FLUVIUM EUPHRATEM. — Hinc patet « Soba » fuisse mediam inter Jordanem et Euphratem, ideoque comprehensam fuisse inter limites terre promissae Judaeis a Deo assignatae; hujus enim limites erant mare Mediterraneum ad Occidentem, et Euphrates ad Orientem, ut patet *Deut. i, 7, et xi, 24*. Quare quidquid inter mare hoc et Euphratem interjacet, jure divino ad Iudeos pertinebat. Hoc ergo justa belli causa fuit Davidi invadendi « Soba, » tanquam ad se et Iudeos pertinetem.

Porro *profectus est*, ambiguum est; potest enim referri ad Adarezer, ut referunt Dionysius et Hugo; potest quoque referri ad Davidem, ut referunt Abulensis, Vatablus et Mariana.

4. ET CAPTUS (A DAVIDE) EX PATRE EJUS MILLE SEP-  
TINGENTIS EQUITIBUS. — Tot fuere primarii et praecipui equites; nam alioqui universim a Davide captae fuere mille quadrigae, et septem millia equitum, ut dicitur I *Paralip. xviii, 4*. Ita Abulensis. Aut certe cum Serario per equites intelligitur equitum decurias; multiplica enim septingentas decurias equitum per decem, habebis septem millia.

SUBSERVAVIT OMNES JUGALES CURRUM, — hoc est, ut explicatur I *Paral. cap. xviii, 4*: « Subservavit omnes equos currum, exceptis centum quadrigis, quas reservavit sibi. » Porro *subservare*, est nervos vel suffragines equorum incidere ut progredi nequeant, et inutilis fiant tam ad bellandum, quam ad currus trahendum, quod alii *subservare* vocant. Idem fecit Iosue cap. xi.

5. VENIT QUOQUE SYRUS DAMASCI, — id est, ven-  
erunt Syri qui Damascum inhabitabant, quorum rex erat Adad, ait Josephus.

9. AUDIUIT AUTEM THOU (A JOSEPHO VOCATUR « THOMAS ») REX EMATH. — « Emath » dicta est a conditore Amatho, *Genes. x*. Eratque duplex, scilicet major, quae est Antiochia, et minor, quae est Epiphania. Ita Josephus, S. Hieronymus in *Locis*, Procopius et alii.

10. ET MISIT THOU JORAM FILIUM SUUM (QUI I *Paral. xviii, 10*, vocatur « Adoram, »), ET IN MANU EJUS ERANT VASA AUREA. — *q. d.* Joram ferebat secum vasa aurea, ut ea quasi munera offerret Davidi; quae David destinavit templo a Salomone aedificando, ut patet III *Reg. xv, 15*; I *Paral. xxvi, 27* et seq.

13. FECIT QUOQUE DAVID SIBI NOMEN, — id est, arcum triumphalem erexit, ait Abulensis et Auctor *Tradit.* apud S. Hieronymum. Aut, ut Serarius, Sanchez et alii, *q. d.* David haec victoria magnum sibi nomen et famam comparavit apud omnes gentes.

IN VALLI SALINARUM. — Audi Adrichomium in tribu Juda, num. 214: « Vallis Salinarum, seu Salis, hebraice Gemela, alias Mela dicta, in qua David percussit octodecim millia Idumaeorum, et rediens erexit sibi fontem triumphalem. Ibidem et Joab duodecim millia delevit, et Amasias decem et viginti Idumaeorum millia, atque alia decem millia praecipitavit de rupe et petra Jeetehel, » II *Paral. xxv, iv Reg. xiv*. Mystice S. Gregorius, lib. III *Moral. xiv*: « David, inquit, valles Salinarum percussit; quia videlicet Redemptor noster suae districtioris examine, in his qui de illo prava sentiunt, stultitiam immoderati saporis extinguit, » juxta illud *Roman. xii*: « Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. » Vallis ergo Salinarum representat « calorem immoderate sapientiae. » Verba S. Gregorii more suo transcribere Eucherius et Angelomus.

14. FACTA EST UNIVERSA IUDUMAE SERVITIENS DAVID. — Hic impletum est oraculum et benedictio Isaaci dicta Jacobo, *Gen. xxvii, 29*: « Esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae. » Idumaei enim, ex Esau fratre Jacobi prognati hic, servierunt Davidi ex Jacobo descendenti. Ita Procopius et Theodoretus. Unde tunc David composuit *psal. lxx, ubi inter cetera ait*: « In Idumaeam extendam calcamentum meum, » id est Idumaeam quasi victor possidebo, subjiciam et calcabo. Adibant enim possessionem impositione calcis, sive calcis calcando rem possessam: unde Chaldaeus vertit, *super Edom projecit calcem meam*; R. Emmanuel vertit, *in Edom projecit chirothecam meam*; quia, loquit, mos erat regum, cum urbem aliquam munitam obsidebant, ut chirothecam in urbem projicerent, quo significabant se ab urbe non recessuros, nisi ea capta, et chirotheca recepta. Et hoc est, quod dixit Cicero in *Philipp.*: « Silet enim ipse cito accipere manicas (chirothecas), nec diutius obsidionis metum sustinere. » Haec ille. Verum Hebraeus *נאל naal*, calcem, non chirothecam significat.

Tropologicè, David, id est Christus, regnat in Idumaea, id est rubeis et carnalibus gentium cordibus, dum per gratiam ea efficit spiritalia et caelestia. Ita S. Augustinus, S. Hieronymus et alii in *Psalm. lxx*.

16. JOSAPHAT FILIUS ABILUD ERAT A COMMENTARIIS,

— id est res gestas Davidis quotidie per diaria scribebat, erat commentator, vel commemorator factorum memorabilium Davidis; hoc enim significat Hebraice *מסכת מסכת*.

17. ET SADOQ FILIUS ACHITOB, ET ACHIMELECH FILIUS ABIATHAR, ERANT SACERDOTES, — scilicet summi, id est pontifices. Erant ergo tum ex dispensatione vel convenientia Dei, simul duo Israelis pontifices, scilicet Sadoc et Abiathar. Cum enim Abiathar abnepos Heli, descendens ex Ithamar, metuens iram Saulis, I *Reg. xxii, 20*, fugisset ad Davidem, Saul cum suis pontificem constituit Sadoc; qui descendebat ex Eleazar seniore filio Aaronis: Sadoc hic postea sub Salomone solus obtinuit pontificatum excluso Abiathar, eo quod ipse cum Adonia novo rege contra Salomonem conspirasset. Sub Davide ergo erant duo pontifices committente Deo; nam ex lege et prima institutione unus tantum debebat esse pontifex. Ita Abulensis et alii. Ministrabant autem in tabernaculo et munia pontificia obibant successive sive alternis vicibus.

SADOQ FILIUS ACHITOB. — Alius est hic « Achitob » ab « Achitob » filio Phamee, filii Heli; hic enim ex Ithamar descendit: « Sadoc » vero ex Eleazar, ideoque Sadoc praecipuus et primarius erat pontifex, ut Abiathar videretur ejus concessu pontificatu fungi, esseque quasi ejus vicarius, ut colligitur ex I *Paral. xvi, 39*. Hinc et Sadoc hic et alibi Abiatharo preponitur, licet eo aetate esset minor, ut patet I *Paral. xii, 28*, ubi « Sadoc » vocatur « puer egregie indolis. »

« Achimelech filius Abiathar. » Ipse « Abiathar » erat pontifex, ut patet II *Reg. xv, 35*. Sed « Achimelech filius » patris sui vices obibat: sive ob patris senium vel infirmitatem, sive ob alias graves ejus occupationes, et quae ei proxime in pontificatu successurus. Ita Abulensis. Addunt Beda, Theodoretus et Euthymius in cap. II *Marci*, « Abiathar » fuisse nomen commune familiae, proprium vero nomen hujus pontificis fuisse « Achimelech. » Idem ergo pontifex ex familia vocabatur « Abiathar, » ex nomine proprio autem « Achimelech, » ut sensus sit, *q. d.* Achimelech, qui etiam dicitur Abiathar filius Achimelech, qui etiam a familia communinome Abiathar dicebatur, erat sacerdos.

18. BANAIAS ABTEM FILIUS JOADAE, SUPER CERETHI ET PHELETHI. — Erant hi fortissimi, fidissimi et praetoriani milites Davidis. Unde *Cerethi* Hebraice idem est quod *excubantes*; *Phelethi*, idem quod *liberantes*. Quocirca Iosephus eos vocat *επαρηχρησται*, id est corporis regii custodes. Hinc forte a *Cerethis* dicti sunt *Cardaces*, qui erant fortissimi milites apud Persas, teste Strabone, lib. xv. Vide dicta *Ezechiel. cap. xxv, vers. 16*, et Sophonias, cap. II, vers. 8.

FILII AUTEM DAVID SACERDOTES ERANT. — « Sacerdotes, » id est principes et auae primarii. Vide I *Paral. xviii, 17*. Vocantur « primi ad manum regis, » id est primi ad latus regis, quia illud stipabant et rantque proximi Davidi, quasi filii ab eo

educandi et instruendi. Nam primogenitus erat circiter 15 annorum. Ita Salianus. Quocirca sacerdotes hi a Septuaginta vocantur *ἀρχιερα*, id est *aulæ principes*, Palatini; a Chaldaeo, *magnates*. Filii enim Davidis, cum non ex Levi, cui addictum erat sacerdotium, sed ex Juda descenderent, non poterant esse sacerdotes proprie dicti. Sacerdos ergo hic, per catachresin, idem est quod princeps. Causam sive analogiam affert Forerius in cap. LXII *Isaia*, vers. 6, quod sacerdos sit minister et familiaris Dei; rex autem est quasi quidam Deus in terra: ejus ergo familiares vocantur sacerdotes. Sic et Pineda, *Job* xii, 19, num. 4: Rex, inquit, est quidam Deus; qui ergo regi familiares, hi quidam sacerdotes ejus sunt. Simile est III *Reg.* iv, 3: «Zabud, inquit, filius Nathan sacerdos (id est Palatinus) amicus regis.» Addit Glossa, leg. *Sacra Loca*, ff. de *dist. leg.* 1 et 8, regem David fuisse sacerdotem, quia scilicet erat propheta pius, qui Psalmos dictavit, et officia canendi inter Le-

vitas distribuit. Sic Christiani omnes sunt sacerdotes, sed mystici, juxta illud: «Vos genus electum, regale sacerdotium,» I *Petr.* ii, et illud: «Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes,» *Apocal.* v, 10. Unde S. Hieronymus, dialogo *Contra Lucifer.*: «Sacerdotium laici, inquit, baptisma est.» Quia et apud Romanos laici, qui aliquid sacri curabant, vocabantur sacerdotes, esto non sacrificarent. Erant enim apud eos varia sacerdotum genera, nimirum Flamines, Diales, Martiales, Salli, Quirinales, Pontifices, Reges sacrorum, Sacrificuli, Galli. Unde Musarum sacerdos vocatur «poeta» ab Horatio, lib. III *Carm.* Hinc et Ovidius, lib. III *Am.*: «Purus musarum, inquit, Phoebique sacerdos.» Hinc quoque vates, augures, aruspices a Plutarcho et Homero *Iliade* vocantur *κατα*, id est sacerdotes. Denique quia olim idem erat sacerdos et princeps ut fuit Job, Abraham, Moyses, etc., hinc Hebraeorum כהן *cohen*, id est sacerdos, significat quoque principem.

## CAPUT NONUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*David Miphiboseth filium Jonathae mensa sua convivam facit, eique omnia praedia patris Jonathae et avi Saulis restituit.*

4. Et dixit David: Putasne est aliquis qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Jonatham? 2. Erat autem de domo Saul, servus nomine Siba, quem cum vocasset rex ad se, dixit ei: Tunc es Siba? et ille respondit: Ego sum servus tuus. 3. Et ait rex: Numquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei? Dixitque Siba regi: Superest filius Jonathae debilis pedibus. 4. Ubi, inquit, est? Et Siba ad regem: Ecce, ait, in domo est Machir filii Ammiel de Lodabar. 5. Misit ergo David, et tulit eum de domo Machir filii Ammiel de Lodabar. 6. Cum autem venisset Miphiboseth, filius Jonathae filii Saul ad David, corruit in faciem suam, et adoravit. Dixitque David: Miphiboseth? Qui respondit: Adsum servus tuus. 7. Et ait ei David: Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Jonatham patrem tuum, et restituiam tibi omnes agros Saul patris tui, et tu comedes panem in mensa mea semper. 8. Qui adorans eum, dixit: Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei? 9. Vocavit itaque rex Siba puerum Saul, et dixit ei: Omnia quaecumque fuerunt Saul, et universam domum ejus, dedi filio domini tui. 10. Operare igitur ei terram tu, et filii tui, et servi tui; et inferes filio domini tui cibos ut alatur; Miphiboseth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam. Erant autem Siba quindecim filii, et viginti servi. 11. Dixitque Siba ad regem: Sicut jussisti, domine mi rex, servo tuo, sic faciet servus tuus; et Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi unus de filiis regis. 12. Habebat autem Miphiboseth filium parvulum nomine Micha; omnis vero cognatio domus Siba serviebat Miphiboseth. 13. Porro Miphiboseth habitabat in Jerusalem, quia de mensa regis jugiter vescabatur; et erat claudus utroque pede.

4. PROPTER JONATHAM? — Ecce quam fidus et constantis in amicitia Jonathae fuit David, utpote qui non tantum vivo, sed et mortuo benefaciat, dandando ejus filium. Nam, ut ait Theodoretus: «Qui

in hostes benignus erat, amicorum nunquam obliviscabatur;» et, ut inquit Josephus, «eorum qui bene unquam ipsi fecissent, memor erat maxime.»

VEN. 7. RESTITUIAM TIBI OMNES AGROS SAUL PATRIS TUI. — quos, antequam fieret rex, habebat ex paterna hereditate, vel sibi acquisierat; nam quos rex faceret comparavit, quasi bona regia ad successorem regem, puta Davidem, jure communi devoluta sunt.

VEN. 8. RESPEXISTI SUPER CANEM MORTUUM SIMILEM MEI? — q. d. Respexisti super canem mortuum, qualis ego sum: ita Vatablus; se enim assimilat, vocatque canem mortuum, ut se humiliet suamque vilitatem indicet, utpote qui avo et patre mortuis orphanus, imo parvulus, claudus, miser et egens relictus, ac ab omnibus neglectus, spernebatur quasi canis mortuus. Sic nuper adolescens derelictus et miser, rogatus quis esset, respondit se esse filium consilarii mortui. Chaldaeus vertit, respexisti ad virum idiotam, qualis ego sum. Videat Miphiboseth hoc tempore fuisse circiter viginti annorum; nam moriente Saule et Jonatha, erat quinqueennis; adde 15 circiter annos regni Davidis, quibus exactis David ad se Miphiboseth acciebat, habebis annos viginti.

VEN. 9. DEDI FILIO DOMINI TUI, — id est dedi Miphiboseth, qui est filius Jonathae olim domini tui.

VEN. 10. ET INFERES FILIO DOMINI TUI. — Hic alius intelligitur dominus, scilicet presens et vivus, puta Miphiboseth, cum prior, puta Jonathas, de quo versu 9, jam esset mortuus. Sensus ergo est, q. d. Colliges agrorum Saulis fruges «filio domini tui,» hoc est Michae filio Miphiboseth: hic enim jam erat dominus Siba, «ut alatur,» scilicet Michae cum suis famulis. Nam Miphiboseth pater Michae alebatur in mensa Davidis, non a Siba, ut sequitur. Ita Sanchez.

VEN. 11. DIXITQUE SIBA AD REGEM: SICUT JUSSISTI, DOMINE MI REX, SERVO TEO (MIHI), SIC FACIET SERVUS TUUS; ET MIPHIBOSETH COMEDET PANEM SUPER MENSAM MEAM QUASI UNUS DE FILIIS REGIS. — Est hic anecdota hlogia; quomodo enim Siba hic dicit Miphiboseth comesturum super mensam suam, cum enim paulo ante mensa sua assignavit David? Variè varie haec conciliant: *Primo*, Abulensis et Auctor *Tradit.* apud S. Hieronymum, pro *mensam meam*, legunt *mensam tuam*. Sed Hebraea et Romana habent, *mensam meam*. *Secundo*, Vatablus, Cajetanus, Lyranus et alii interjeiunt et repetunt ex vers. 9. «Dixit David,» sic ergo legunt: «Et dixit David: Miphiboseth comedet panem super mensam

meam.» Verum *et dicit David*, hic non est in Hebraeo, Chaldaeo et Septuaginta. *Tertio*, alii accipiunt ut verba Siba, sed ita conciliant, q. d. Siba: Miphiboseth cibos ex mensa regis allatos comedet super mensam meam. Verum hoc repugnat vers. 13, ubi dicitur Miphiboseth habitasse in Jerusalem, «quia de mensa regis jugiter vescabatur.» *Quarto*, Septuaginta et Chaldaeus vertunt, et *Miphiboseth comedebat super mensam regis, sicut unus de filiis regis*. Hoc verum est, sed non respondet textui Hebraeo et Latino. *Quinto*, Vatablus *et explicans per quamvis*, sic vertit, *sicut jussisti, sic faciet servus tuus* (ut scilicet aliam Micham et Miphiboseth, quem haec alius alui, mittam ad mensam tuam), quamvis ego ipsum Miphiboseth hucusque in mensa mea aluerim tam splendide, ac si esset unus ex filiis regis; verum hoc dissonat a Vulgata, quae vertit, «et Miphiboseth comedet panem super mensam meam.»

Dico ergo *et*, hic capi pro *imo*, uti et alibi per auxesim accipitur, q. d. Siba: Sicut jussisti, rex, sic faciet servus tuus, ut aliat Micham filium Miphiboseth; quin imo si voles, «Miphiboseth comedet super mensam meam,» q. d. Si voles, ego pergam alere Miphiboseth ipsum tam magnifice, ac si esset filius regis. Ita Sanchez.

Allegorice, David, extollens abjectum et claudum Miphiboseth, representat Christum, qui infirma et contemptibilia mundi eligit, ut confundat fortia, I *Corinth.* i, cum scilicet ipse, ut ait Angelomus, «eum quem ad saeculi ministeria et mundana negotia exercenda, sermone et actione debilem conspicit ad divinum ministerium eligit; quia quem mundus per fastum elationis spernit, hunc Deus propter devotionem humilitatis acquirit. Interpretatur enim Miphiboseth, decor ignominiae. Is ergo, cujus loquelam et praesentiam superbia mundi despiciunt, Dei dono utilis ad spirituale ministerium in Ecclesia apparebit.» Et pluribus interjectis: «Suscitabit de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus et gloria solium tenet. Contemplabiles personas de mundo auferens, possessores virtutum efficit, et scientia spirituali super mensam Scripturarum sanctarum quotidie secum reficit. Unde evenit ut tales sobolem gignant, qui vocentur Michae. Michae enim, quis est, Latine resonat; quia frequenter et in admirationem populi tales veniunt: qui nuper e despectu mundi ablati, gloriosi in Ecclesia Dei dono apparebunt.»

## CAPUT DECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Hanon rex Ammon legatos Davidis vestibus et barba mutilat; David hanc injuriam bello ulciscitur, ac per Joab, regem cum Syris profugat: rex, vers. 13, advocato Adarezer, bellum reparat; sed a Davide rursum, magis quam ante, caditur.

1. Factum est autem post hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon, et regnavit Hanon filius ejus pro eo. 2. Dixitque David: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum misericordiam. Misit ergo David, consolans eum per servos suos super patris interitu. Cum autem venissent servi David in terram filiorum Ammon, 3. dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum suum: Putas quod propter honorem patris tui miserit David ad te consolatore, et non ideo ut investigaret et exploraret civitatem, et everteret eam, misit David servos suos ad te? 4. Tulit itaque Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, et præscidit vestes eorum medias usque ad nates, et dimisit eos. 5. Quod cum nuntiatum esset David, misit in occursum eorum; erant enim viri confusi turpiter valde, et mandavit eis David: Manete in Jericho, donec crescat barba vestra, et tunc revertimini. 6. Videntes autem filii Ammon quod injuriam fecissent David, miserunt, et conduxerunt merce de Syrum Rohob, et Syrum Soba, viginti millia peditum, et a rege Maacha mille viros, et ab Istob duodecim millia virorum. 7. Quod cum audisset David, misit Joab et omnem exercitum bellatorum. 8. Egressi sunt ergo filii Ammon, et direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ; Syrus autem Soba, et Rohob, et Istob, et Maacha, seorsum erant in campo. 9. Videns igitur Joab quod præparatum esset adversum se prælium, et ex adverso et post tergum, elegit ex omnibus electis Israel, et instruxit aciem contra Syrum; 10. reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem adversus filios Ammon. 11. Et ait Joab: Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adjutorium; si autem filii Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi. 12. Esto vir fortis, et pugne-mus pro populo nostro, et civitate Dei nostri; Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. 13. Iniit itaque Joab, et populus qui erat cum eo, certamen contra Syros, qui statim fugerunt a facie ejus. 14. Filii autem Ammon videntes quia fugissent Syri, fugerunt et ipsi a facie Abisai, et ingressi sunt civitatem; reversusque est Joab a filiis Ammon, et venit Jerusalem. 15. Videntes igitur Syri quoniam corruissent coram Israel, congregati sunt pariter. 16. Misitque Adarezer, et eduxit Syros qui erant trans fluvium, et adduxit eorum exercitum; Sobach autem, magister militiæ Adarezer, erat princeps eorum. 17. Quod cum nuntiatum esset David, contraxit omnem Israel, et transivit Jordanem, venitque in Helam; et direxerunt aciem Syri ex adverso David, et pugnaverunt contra eum. 18. Fugeruntque Syri a facie Israel, et occidit David de Syris septingentos currus, et quadraginta millia equitum, et Sobach principem militiæ percussit, qui statim mortuus est. 19. Videntes autem universi reges qui erant in præsidio Adarezer, se victos esse ab Israel, expaverunt et fugerunt quinquaginta et octo millia, coram Israel. Et fecerunt pacem cum Israel, et servierunt eis, timueruntque Syri auxilium præbere ultra filiis Ammon.

2. SICUT FECIT PATER EJUS (Naas) MECUM MISERICORDIAM, — cum me fugientem Saulem benigne suscepit, et tutatus est. Res gesta in Scriptura non narratur, sed ex traditione eam recenset

S. Hieronymus, in *Tradit.* (quem sequitur Angelomus, Abulensis, Glossa, Lyranus, Sanchez et alii). « Quando fugit David a facie Achis regis Getha, venit ad Naas regem Ammon, qui fecit

cum eo misericordiam, multa impertiens ei bona. De Naas itaque venit in speluncam Odollam, ubi venerunt ad eum pater ejus et mater, et omnis domus ejus. Inde venit ad Moab, et dimisit apud eum patrem et matrem, et omnem domum suam. » Alias Rabbinoꝝ præsertim R. Salomonis solutiones affert Lyranus, sed ab eis confictas, uti ostendit Abulensis.

4. RASITQUE DIMIDIAM PARTEM BARBÆ. — I Paral. cap. ix, 4, additur: « Decalvavit, et rasit, et præcidit tunicas eorum. » Triplex ergo fuit hæc ignominia, quam Hanon contra jus gentium legatis Davidis ad se consolandum missis irrogavit. *Prima*, fuit capitis decalvatio; *secunda*, barbæ non totius, sed dimidia ad ludibrium ratio. *Tertia*, vestium longarum et ad pedes (more Orientalium) promissarum usque ad nates præcisio, ideoque natiùm denudatio. Hebræi enim laici non utebantur femoralibus, nisi sacerdotes: quæ omnia tunc temporis erant valde fœda, ignominiosa et infamia, præsertim apud Hebræos; quia eis jussisset Deus « non radere caput nec barbam, » *Levit.* xxi, 3; idque sciebant Ammonite, utpote Hebræis vicini, ideoque ad majus dedecus apud suos hæc eis insolentiam irrogarunt, imo apud omnes nationes probrosum est barbam vellere. Unde illud: « Leoni mortuo barbam vellis, » id est, mortuo insultas.

Allegorice, Hanon representat Judæos, qui Christo in passione genus vulerunt, *Isaia* l, 6.

Tropologicè, Hanon est diabolus, qui subinde benefacere volentibus, barbam abradit, id est, fortitudinem admittit; barba enim virilitatis et fortitudinis est symbolum. Audi Eucherium: « Sicut Hanon, ita et diabolus princeps hujus mundi, plerisque religiosos et prædicantes per subreptia vitia deturpare consuevit. Qui dum eorum latentia mala, in aperta et flagitiosa perpetratæ luxuria detegit, quasi eorum indumenta usque ad nates abscessa, nudos a dignitate castitatis derelinquit; et in oculis hominum turpia facta, quæ ipse persuaserat, revelat. Et dum pristinam eorum fortitudinem eripit, velut barbam radit. Quos tamen verus David, Dominus scilicet et Salvator noster, elementi respectu, per penitentiam, ab indulgentia non excludit, quos et in Jericho hoc est sub anathemate penitentia, et opprobrio meliorum residere jubet; donec sacramenta spiritalia, et fortitudinem mentis, quam peccato perdididerunt, satisfaciendo recipiant, et sic demum in conspectu ejus stare valeant. » Hæc omnia ad verbum ex Eucherio (verius Beda) transcripsit Angelomus, qui et addit: « Sed Christus vindicat suorum injuriam, cum non solum adversarios suos, nunc per sanctorum suorum viciorum confundit, sed etiam in extremo judicio

per justam sententiam, perpetuis ignibus cruciandos tradet. »

9 et 10. INSTRUXIT ACIEM CONTRA SYRUM: RELIQUAM AUTEM PARTEM POPULI TRADIDIT ABISAI FRATRI SUO, et 10. QUI DIREXIT ACIEM ADVERSUS FILIOS AMMON. — Ostendit Joab in hac divisione exercitus insignem belli peritiam. Duces enim belli, cum vident se cingi a fronte et a tergo, dividunt copias, unamque partem hostibus a fronte, aliam vero iis qui a tergo imminet, opponunt. Nec enim iidem milites a fronte et a tergo pugnare possunt; si enim cedant hostes a fronte, cædentur ab hostibus, qui tergo instant. Rursum quod selegit fortissimos milites, quibus inquisit, illicoque stravit Syros; illis enim prostratis, fugit altera acies Ammonitarum quibus instabat Abisai, frater Joab. Idem fecit Judas Machabeus, quin et gentiles, ut Scipio, Annibal, Alexander, etc.; ac præceteris Claudius Nero, consul Romanus, qui Annibali oppositus, cum audiret Asdrubalem cum novo exercitu 56 millium adventare, ut se cum copiis fratris Annibalis conjungeret, secreto et celerrime Annibale inscio profectus cum selecta suorum manu, se cum castris Livii Salinatoris socii Consulibus conjunxit, itaque inopinato invadens Asdrubalem, cum 36 millibus occidit, ac victor rediens caput occisi ante Annibalis fratris stationes projecit, itaque eum obstupescit et percussit, ut de fortuna Carthagini actum esse diceret, seque in extremum Italiæ angulum ad Bruttios contraheret, uti narrat Livius, decade 3, in fine lib. VII.

18. ET OCCIDIT DAVID DE SYRIS SEPTINGENTOS CURRUS, ET QUADRAGINTA MILLIA EQUITUM. — Dices: I Paral. cap. xix, 18, plures numerantur, sic enim habet: « Et interfecit David de Syris septem millia currum et quadraginta millia peditum. » Respondeo, liber Paralipomenon, ut patet ex nomine, supplet ea quæ in libro Regum ommissa sunt, illa vero quæ et ibi dicta sunt obscurius, explicat clarius. Ergo, quod dicuntur hic occisi 700 currus, intellige milites pugnantes e curribus: milites enim occiduntur, non currus; unde id confirmat liber Paralipom. dicens: « Interfecit septem millia currum, » id est septem millia militum pugnantium e curribus. Erant igitur currus septingenti, sed militum septem millia erant; quilibet enim currus continebat decem milites. Porro præter quadraginta « millia equitum, » quæ habet liber Regum, liber Paralipomenon addit quadraginta « millia peditum, » ita ut universim tam peditum, quam equitum cesa sint 80 millia, præter septem millia pugnantium e curribus. Ita Abulensis, Sanchez, Serarius et alii. Denique Josephus asserit bellum hoc Ammoniticum finitum esse, ineunte hieme.